

1.

Viro Clarissimo Experientissimoque DD. Jacquinio  
s. pl. d. Car. Linnaeus Eques.

De fausto Tuo, e longinquo et ancipiti itinere in Europam reditu Tibi nobisque omnibus animitus gratulor. Te expectarunt una mecum naturae consulti omnes. Te florae ipsius Legatum suscipimus et veneramur, qui nobis reportas gazas et spolia peregrini orbis, nec auditas nec visas antea. Faxit Deus ut feliciter brevi prodeant in perennem Tui nominis gloriam, in commodum et oblectamentum generis humani, in gloriam T. O. Creatoris.

De Tuo faustissimo adventu me certiore fecit communis noster Amicus Cl. Sauvagesius, in epistola de Tuis inventis adeo divite, ut poterat ipsos movere Deos.

Dicit inter alia de descripsisse plantam leguminosam, quae connectit et deprimit cacumina summarum arborum; intelligo satis Te locutum fuisse de *Lente phaseoloide* auctorum, cujus flores nullus descripsit, ut ab eo character erui posset. Ex habitu plantae judicarem eam valde affinem esse *Mimosi*, nec repugnat fructus, licet maximum coriaceum legumen, nec flores masculi immixti hermaphroditis. An flores pentapetali, decandri, monogyni? Si novi et distincti generis, ane haec a Te dicenda *Jacquinia*? qui ejus instar alte scandisti, et contraxisti tot alte positas plantas. Sin minus, dicas mihi quae Tibi consecranda.

Utinam brevi prodirent Tui thesauri, quo liceret in hac vita intueri hasce delicias. Tot plantae pulcherrimae, adeo egregie delineatae, tot nova et singularia genera non potuere non me in summam Tui admirationem rapere. Vidi *Brownii* delicias et miratus sum, comparavi mihi omnes ejus